UNIVERSA LOGICA PROPUGNANDA SUB AUSPICIIS DEIPARÆ IMMACULATÆ A PROVENZANO...

Germanico Gigli


Digitized by Google

1050.13

Digitized by Google



A

V
GIGLI

Digitized by Google

B I



UNIVERSA LOGICA

Propugnanda sub Auspiciis

DEIPARÆ IMMACULATÆ

A PROVENZANO

SENARUM PATRONÆ

A GERMANICO GIGLI SENENSI

COLLEGII PTOLEMÆI CONVICTORE,

& Accademico Innominato.

IL NASCOSTO


PUB. FLORENTINAE BIBLIOT.


BIBLIOTECA NAZIONALE 1872

Digitized by Google

Digitized by Google

II - 3

VIRGINI MATRI
A
PROVENZANO
SE SVAQVE NVNCVPAT STVDIA.

GERMANICVS GIGLI.


VM primùm Academia inter Medicea *Anonimorum* Sydera me asserendum augendumque putavit, usque mihi meisque nouis ornamentis temperandum censui; ut hebetem potiùs lucem dormitantis *Lucernæ*, quam florentissimam eorum Syderum speciem obtenderem. Sepulcrali igitur Lucerna stemmatis clypeum insignivi: ut quoties per eam imaginem veniret in mentem, quid meę tenuitatis modus, quid Medicei nominis amplitudo sibi postularent; si minus fieri posset, ut me aucta videretur Academia, ac saltem me amplificatum præstarem Academiæ. Secretus ideo ad eam Lucernam veluti Cleantheam, inter sepulcra veluti Zenonis auditor, ad umbra-

Digitized by Google

ticos illos & doliares antiqui nominis Philosophos contuleram animum. Cùm repente, quonam Patriæ piaculo nescio, conditione certè temporum perincommoda, suis emota sedibus terra labem fecit, & amica meæ faculæ penetralia retexit. Quid illa inter auræ liberioris afflatus? Perijsset profectò, nisi ad tuas aras sistendam esse censuerim, VIRGINEA MATER. Patria nempe consuetudo obversabat animo, quę nihil habuit antiquiùs, quàm tui nominis celebritatem, tuæ observantię studium, tui cultus religionem. Senam loquor illam, quæ conscia honestissimi illius tituli, quo *CIVITAS VIRGINIS*, auditur, & nominatur, ut nomini sese metiretur instructa pluries publica legatione, solenni Sacramento concepto, oblatis portarum clavibus, gentisque insignibus, tuæ se dedititiam potestati permisit. Quæ antiquissimis legibus a lustris proscripsit expositas fœminas, si tuum ijsdem nomen iam a teneris obtigisset. Quæ cùm foris, comitijs, publicisque negocijs oportunam horam euulgat, ab Angelica Salutatione æris campani significationem auspicatur. Quæ è numero

urbium

Digitized by Google

urbium omnium in Italia commemorat, ſe priorem tibi ſine originaria labe Conceptæ aras poſuiſſe. Obverſabat itidem mutua tua voluntas, eaque effuſiſſima, qua Senas complexa es. Cognovimus a memorijs, victorias, quas olim de hoſtibus retulimus, eas plerũq; die tibi ſacro relatas eſſe. Quid verò ſi mobilior tellus, aut peſtilentior aer vltima minarentur? An non ſæpe numero pene cadentes excepti fuimus, pene extincti ab interitu revocati? Non hic hiſtoriarum opus: ipſi qui vivimus Tyria evaſimus maria (ut de magnis periculis proverbium fertur) cùm nuper crebro concuſſu percita tellus, vaſti maris & excitati procellam referret, iamque penitùs abſorberet, niſi hœſerimus tibi, ſacrę veluti anchoræ. Quapropter ſæpe mihi ea incidit cogitatio, non ſine magno aliquo conſilio factum eſſe, ut tua in Prouenzano imago te ab amplexu Divini Filij ſolutam exhiberet: perinde quaſi vt nobis tantùm vacantem ſinum indulgeres, ab ubere Filium depellere viſa ſis. Quid igitur aperta iam & expoſita mea iſthęc ſibi timeat lucerna, cùm tuis illatam ædibus Virgineo foveris lacte?

Vt

Digitized by Google

Vt enim ædem in Provenzano, qua te Patria pietas dedicavit, non manifesta minùs ac præsens incolis, quàm Cœlum & Sydera; ita profectò, non minùs atque in Cœlo tibi excubant Sydera, ea in æde tenuis hæc mea, sed vtcumque boni luminis flamma, æternùm vigilet iube.

E X
PROAEMIALIBVS.

I.

Vm Homo natura sua sit Animal discursivum, habet in se potentiam ratiocinandi; sed quia in ipso ratiocinio errare potest, inventa est facultas quædam, quæ ipsum adiuvet. Potentia discursiva quæ homini inest dicitur Logica naturalis; facultas autem potentiam illam adiuvans dicitur Logica Artificialis. Logica naturalis est simpliciter necessaria ad omnes omninò scientias acquirendas etiam in statu imperfecto; Logica autem Artificialis non est simpliciter necessaria ad reliquas scientias in statu perfecto acquirendas sed solùm est necessaria moraliter. Benè dividitur Logica artificialis in habitualem, & actualem; In Analyticam, Topicam, & Sophisticam; & in docentem, & vtentem; hæc autem ultima divisio est minus propria, cum nomine Logicæ docentis intelligatur ipsa Logica ut tradens Præcepta; nomine autem Logicæ utentis intelligatur tum ipsa Logica, tum quævis alia facultas quæ utitur præceptis Logicæ.

II.

Objectum cuiuscumque facultatis est id quod illi facultati faciendum, vel contemplandum proponitur. Dividitur Obiectum in materiale, & formale, Attributum, & Attributionis. Voces etiam prout ordinatæ, & dispositæ non sunt Obiectum Attributionis Logicæ, ipsarum enim Ordinatio non ponitur ex directione Logicæ.

III.

Intellectus rectè intelligens non est obiectum Attributionis Logicæ, adeoque neque recta operatio est Obiectum formale, neque Intellectus Obiectum materiale. Neque Ens rationis Logicum seu rectè cognitum habet rationem Obiecti Attributionis Logicæ; vnde neque res omnes sunt Obiectum materiale ipsius, neque cognitiones sunt Obiectum formale.

Digitized by Google

IV.

Objectum igitur Attributionis Logicæ sunt Operationes Rectæ Intellectus; ità ut Obiectum formale ipsius sit rectitudo operationis, Obiectum materiale sit ipsa Operatio ut dirigibilis est, & ut capax est rectitudinis. Et quidem Obiectum præcipuum, & magis Principale est nobilissima operationum, nempè Syllogismus, & in Syllogismo demonstratio; Reliquæ autem operationes sunt quidem etiam ipsæ Objectum Logicæ, sed minus principale.

V.

Cum Virtus quatenus ad Intellectum, & Voluntatem pertinet sit quæ facit bonum habentem, & opus eius reddit bonum; & dispositio perfecti ad optimum; quatenus autem ad Intellectum spectat sit habitus quo affirmando, vel negando semper anima dicit verum; hinc jure Logica docens habet rationem virtutis intellectualis; & quidem non minus est Virtus secundùm **Analyticam**, quàm secundùm Topicam, & Sophisticam.

VI.

Logica habet veram rationem Scientiæ, Scientia enim est habitus qui ex Principijs quibusdam præcognitis certò cognoscit quòd Obiectum aliter se habere non potest; Cum autem Scientia alia sit Speculativa, alia Practica; Logica & Speculativa est & Practica; ità tamen ut sit simpliciter Practica, secundùm quid Speculativa. Est autem etiam Ars, quia est etiam habitus cum recta ratione effectivus

DE IDENTITATE, ET DISTINCTIONE.

IDentitas est conceptus adeo per se notus ut difficile sit illam clariùs explicare. Potest tamen utcumque definiri, & à Priori per hoc quòd sit forma per quam res quælibet est id quod revera est; & à Posteriori per hoc quòd sit Affirmabilitas ejusdem de se ipso. Identitati opponitur Distinctio, quę definiri potest tum à Priori per hoc quòd sit forma per quam res quælibet non est id quod revera non est; tùm à Posteriori per hoc quòd sit Negabilitas unius de alio. Distinctio alia est adæquata, alia inadæquata, alia Realis, alia Rationis; Distinctio Realis est illa per quam possumus absolutè, & simpliciter dicere Hoc non est illud; Distinctio Rationis, seù formalis per intellectum est illa per quam Res quæ realiter distincta

non

non est, tamen ut distincta apparet ex modo diverso concipiendi nostri intellectus; Illa datur à parte rei in Obiectis, hæc non datur à parte rei, sed solum per Intellectum.

VIII.

Inter Gradus Metaphysicos eiusdem individui non datur distinctio aliqua media inter distinctionem realem, & distinctionem rationis; Vnde non datur distinctio formalis ex natura rei; Neque datur distinctio ulla virtualis intrinseca, per quam de eodem omnino obiecto realiter verificari possint duo prædicata contradictoria vel intrinseca vel extrinseca. Excludimus etiam præcisiones omnes obiectivas, per quas ex duobus prædicatis seu formalitatibus realiter identificatis unum cognoscatur, aliud non cognoscatur. Igitur inter gradus Metaphysicos eiusdem individui datur solùm distinctio rationis, seu formalis extrinseca per intellectum.

DE VNIVERSALIBVS IN COMMVNI.

IX.

VNiversale aliud est Metaphysicum, aliud Logicum, seù aliud est in essendo, aliud in prædicando. Vniversale in essendo, & Metaphysicum est unum aptum esse in pluribus, in quibus multiplicetur; Vniversale in prædicando, seu Logicum est unum aptum prædicari de multis in quibus multiplicetur. Et quia implicat quòd unum sit multiplex in eodem genere, ideò implicat Vniversale à parte rei, & independenter ab intellectu. Vnde Ideæ Platonicæ non dantur, & si darentur, non ideò tamen daretur Vniversale à parte rei. Nec datur Vniversale à parte rei ante Singularia, neque in ipsis Singularibus. Vniversale igitur datur solùm per operationem Intellectus, nempe per cognitionem abstractivam præcisivam & confusam repræsentantem plura ad modum unius non signatè, sed exercitè.

X.

Cum Vniversale fiat per cognitionem confusam, hinc jure denegatur Intellectui divino Potentia faciendi Vniversale; Intellectus autem Angelicus imperfectè solùm potest illud efficere. Voluntas autem potiùs potest prosequi Vniversale iam factum, quàm illud efficere; Sensus verò externi nequeunt Vniversale efficere. Natura communis quando actualiter prædicatur de Inferioribus retinet suam Vniversalitatem.

DE

Digitized by Google

XI.

CUm Prædicata Vniverſalia alia poſſint conſtituere eſſentiam rei, alia eſſe extra ipſam Eſſentiam; hinc aliqua ſunt eſſentialia, alia non eſſentialia; Prædicata eſſentialia vel poſſunt conſtituere ipſam eſſentiam per modum partis determinabilis, vel per modum partis determinantis, vel per modum totius eſſentiæ; Prædicata autem non eſſentialia, ſeù non conſtitutiva Eſſentiæ poſſunt pertinere neceſſariò ad eſſentiam, & ipſi neceſſariò convenire, & poſſunt non neceſſariò convenire, adeoque quinque modis poterit ratio aliqua Vniverſalis prædicari, unde & quinque omnino erunt Prædicabilia, nempe Genus, Species Differentia, Proprium, & Accidens; quæ vera, & propria definitione poſſunt definiri.

XII.

Genus quod eſt primum Prædicabile, & quod in compoſitione Metaphyſica ſe habet ut materia, definitur Prædicabile de pluribus differentibus ſpecie in eo quod quid eſt. In qua definitione, ſicuti & in reliquis, Prædicabile de pluribus habet rationem Generis. Species alia eſt Subijcibilis, alia Prædicabilis, alia Infima, alia Subalterna. Subalterna eſt quæ ſub ſe habet alias ſpecies; Infima eſt quæ alias ſpecies ſub ſe non habet, ſed ſolùm individua. Subijcibilis eſt illa quæ determinato Generi ſubijcitur, Prædicabilis eſt quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in eo quod quid eſt; In qua definitione, ut patet, comprehenditur ſola ſpecies infima; Subalternæ enim competit definitio Generis. Differentia alia eſt ultima, ſeù infima, alia eſt ſubalterna, una conſtituit cum Genere ſpeciem infimam, alia ſpeciem ſubalternam. Differentia, ut complectitur infimam, & ſubalternam, definitur, Prædicabile de pluribus differentibus vel ſpecie, vel numero in Quale quid.

XIII.

Differentia ſpecifica non bene explicatur per diſcrepantiam in prædicato nobiliſſimo; neque per inæqualitatem in perfectione; neque per differentiam notabilem judicio Prudentum; ſed habetur per quamcunque diſſimilitudinem entitativam plurium exiſtentium ſub eodem genere. Differentia autem numerica intrinſeca nulla datur, cum inter individua ejuſdem ſpeciei detur pura diſtinctio, quæ habetur per hoc Quòd unum non ſit aliud. Differentia

Digitized by Google

tia autem numerica extrinseca habetur per diversas collectiones Accidentium. Quælibet species creata est multiplicabilis numero, vnde implicat species inmultiplicabilis.

XIV.

Proprium, quod est quartum prædicabile, secundùm diversas considerationes dupliciter definiri potest; nempe quòd sit id quod cum sit extra essentiam rei, per se tamen, & necessariò illam consequitur; Et quod sit Prædicabile de pluribus in Quale per se, & necessariò. Accidens autem,quod est quintum Prædicabile, multipliciter etiam definiri potest; videlicet quòd sit id quod adest, & abest præter subjecti corruptionem; & quòd sit Prædicabile de pluribus in Quale contingenter.

XV.

Individuum sumi potest primò & secundò intentionaliter; Si sumatur primò intentionaliter benè definitur quod sit Indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Si verò sumatur secundò intentionaliter benè etiam definitur id quod subijcitur speciei, & de uno tantùm prædicatur. Quodlibet Individuum habet aliquam determinatam collectionem Accidentium, per quam unumquodque ab alio discernitur; talem autem collectionem determinatè non exigit; undè proprietas Characteristica à nobis reijcitur.

DE PRÆDICAMENTIS.

XVI.

VNivoca sunt illa quorum nomen commune est, ratio verò importata per nomen est omnino eadem; Æquivoca sunt illa quorum nomen commune est, ratio verò importata per nomen est omnino diversa. Inter Vnivoca, & Æquivoca mediant Analoga, & sunt illa quorum nomen commune est, ratio verò importata per nomen partim est eadem, partim diversa.

XVII.

Ratio Entis realis potest sumi multipliciter, videlicet & pro eo quod actu existit, & pro eo cui non repugnat existere, seù ut oppositum Chimæræ. Secundùm istam acceptionem benè dividitur in Increatum, & Creatum, & in Substantiam, & Accidens; Vtraque divisio est adæquata, & completa; & ex illa desumptæ sunt differentiæ Entis, quæ sunt Aseitas, Abaleitas, Perseitas, & Inaleitas.

Digitized by Google

æleitas. Ratio Entis præscindit ab istis differentijs, vnde respectu illarum Ens est perfectè Vnivocum.

XVIII.

Ens benè dividitur in decem Prædicamenta. Inter hæc primum obtinet locum Substantia, quæ dupliciter præcipuè sumi potest, videlicet in latissima acceptione pro essentia cujuslibet rei, & sic accepta ratio substantiæ competit etiam Accidenti; si verò sumatur prout distinguitur ab accidente benè explicatur per hoc quòd sit Id quod per se stat, & substat alteri. Juxta secundam acceptionem substantia dividitur in primam, & secundam; prima substantia est quæ neque in subiecto aliquo est, nec de subjecto aliquo dicitur. Secunda substantia est quæ non est in subjecto, de subjecto tamen dicitur. Deus non potest contineri sub Genere substantiæ; si nomine Substantiæ intelligatur id quod per se stat, & substat alteri; Angeli autem possunt sub tali genere contineri.

XIX.

Relativa sunt illa, quibus hoc ipsum est esse ad aliud quodam modo se habere; Vnde Relatio dici potest Ratio, seu forma per quã unum refertur, seu comparatur ad aliud Relatio alia est Transcendentalis, alia Prædicamentalis; utraque est realis, & non tantùm secundùm dici. Relatio Transcendentalis est adequatè intrinseca fundamento, & dari potest ad terminum etiam non existentem in esse rei; non autem ad terminum non existentem in esse termini; vnde implicante termino in esse rei non implicat relatio; implicat autem si implicaret terminus in esse termini. Relatio Prædicamentalis non consistit in modo aliquo superaddito fundamento, termino, & rationi fundandi; sed in sola proxima ratione fundandi, vnde est partim intrinseca, & partim extrinseca fundamento, & termino.

EX LIBRIS PERIHERMENIAS.

XX.

MEntis conceptus vocibus explicamus, sicuti etiam res ipsæ vocibus explicantur. Voces ex natura sua non habent hoc vel illud significare, sed ex placito hominum ex quadam tacita conventione: cum autem plures conventiones factæ fuerint, hinc variæ pro Regionum diversitate ortæ sunt loquelæ, post univer-

salem

Digitized by Google

ſalem loquelæ unius in diverſas diviſionem factam à Deo. Voces ſignificant quidem res, & conceptus, ità tamen ut immediatè, & principaliter ſignificent res; mediatè, & minùs principaliter conceptus.

XXI.

Triplex datur Veritas, Tranſcendentalis, Moralis, & Formalis; Tranſcendentalis, quæ competit rebus omnibus, conſiſtit in Entitate cujuſcumque rei; Moralis habetur per conformitatem locutionis externæ cum internis Mentis conceptibus; Formalis eſt conformitas rei cum Mentis conceptibus. Triplici veritati triplex opponitur falſitas; Quæ opponitur veritati tranſcendentali eſt falſitas omninò Chimærica. Veritati morali opponitur Mendacium, nempè difformitas locutionis externæ cum internis animi conceptibus. Falſitas formalis oppoſita formali Veritati eſt difformitas rei cum cognitione. Veritas, & falſitas formalis, propriè eſt ſolùm in actibus judicij non autem in ſimplici apprehenſione, aut in rebus.

XXII.

Veritas aut falſitas formalis non eſt adæquatè intrinſeca actibus, ſed partim intrinſeca, & partim extrinſeca, habetur enim per actum ipſum, & per Objectum. Nequit eadem Propoſitio eſſe ſimu, vera, & falſa, vel neque vera, neque falſa; ſed neceſſariò eſt vera vel falſa. Poteſt tamen de vera tranſire in falſam, & vice-verſa de falſa in veram in ſuppoſitione quòd duret per plura inſtantia. Ex duabus Propoſitionibus de futuro in materia contingenti, altera eſt determinatè vera, altera eſt determinatè falſa: hæc veritas, & falſitas non datur in rerum natura Phyſicè, ſed ſolùm Logicè; neque eſt cognoſcibilis naturaliter ab intellectu humano, ſed ſolùm ab Intellectu Divino.

EX LIBRIS PRIORVM, ET POSTERIORVM.

XXIII.

SYllogiſmus rectè definitur per hoc quòd ſit oratio in qua quibuſdam poſitis aliud quid à poſitis neceſſe eſt contingere eo quòd hæc ſint. Ex hac definitione conſtat, ſyllogiſmum conflari ex præmiſſis, & Concluſione. Intellectus neceſſitatur ad Concluſionis aſſenſum tum neceſſitate contrarietatis, tum neceſſitate contradictionis. Porrò ad aſſentiendum Concluſioni non prærequiritur judicium de bonitate illationis. Inter Syllogiſmos primum obtinet

Digitized by Google

nec locum demonstratio; nempe Syllogismus scientialis, seu faciens scire. Demonstratio alia est à Priori, alia à Posteriori. Regressus demonstrativus datur, & est utilis.

XXIV.

Demonstrationis effectus est scientia; scientia autem de novo acquiritur, nec est in nobis per solam reminiscentiam. In eodem intellectu potest dari simul actus scientiæ, & actus opinionis; possunt etiam dari simul actus scientiæ, & actus fidei circa idem objectum materiale.

LAVS DEO.

DISPVTABVNTVR PVBLICE' FLORENTIAE IN AVLA EXCELLENTISSIMI DVCIS SALVIATI

ANNO 1698.

Mense Die Hora

1050 . 13

99 957600.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Mc

Digitized by Google

Digitized by Google